

natio iis adornat circumstantiis quæ formam supernaturalem illi conciliant.

129. *Corollarium* 2^{um}. Attamen in certis casibus, nihil ex historiâ, præter *probabilitatem* colligere licet; et in *omni* libro historico sunt *multa* quæ non accedunt ad certitudinem. Testimonia enim ævi præteriti sunt *incompleta* simul et *disjuncta*; unde historicus, ut *totum* quoddam integrum atque unum ex his partibus adstruat, multa debet *interpretari, explicare, inferre*; quæ potiùs conjecturis quàm probationibus nituntur. Porrò in historiâ ut in aliis scientiis, non quidem exaggeranda, sed tamen æstimanda est probabilitas, præsertim quæ cum adjunctis benè cohæret.

CAPUT III

DE REDUCTIONE DIVERSORUM CRITERIORUM AD CRITERIUM UNICUM VEL SUPREMUM

130. *Status questionis*. — Hactenus de singulis criteriis veri singulatim disputavimus; at investigare jam licet utrùm ita sint alia ab aliis diversa, ut ad unum ultimò reduci non queant. Intellectus namque hominis unitatem vehementer diligit, et conatur varietatem rerum ad unitatem revocare, quantum fert ipsarum natura.

Porrò quæstio de quâ nunc, duo significare potest: 1^o utrùm diversa criteria ad unum ita reduci possint, ut *unum* reipsa extet criterium? — 2^o Posito quòd plura sint criteria reapse diversa, utrùm saltem unum sit inter ea *primarium* atque *ultimum*, ex quo cætera vim suam mutuentur, et quod sit *ultima ratio totius certitudinis*?

ARTICULUS I

De reductione diversorum criteriorum ad criterium unicum.

131. Inter philosophos qui *omnem* certitudinem ex uno criterio seu fonte hauriunt, alii eam ducunt ex *fide divinâ*, alii autem ex *fide humanâ*, seu ex consensu populorum.

1^o Prior opinio nomen habet *fideismus* vel *traditionalismus*.

Excogitata est ab Huetio, Abrincensi episcopo, qui asseruit rationem propriis viribus ad certitudinem accedere haud posse, sed *fide* adjutam, certitudinis jam capacem evadere. Ad quam opinionem satis accessit Pascal.

Traditionalistæ etiam Huetio adhæserunt, nisi quòd dixerunt revelationem primitus factam, singulis hominibus transmitti ope societatis ac loquelæ; ita de Bonald, Bautain, Bonnetty et P. Ventura.

2^o Posterior opinio inventorem habuit Lamennais, qui maluit ponere fontem certitudinis in ratione *generali*, seu consensione humani generis. Deus enim ab initio *revelare debuit* primarias veritates quibus constat rationalis vita et genus humanum infallibilitate donare, ut eas singulis hominibus transmitteret (1).

132. PROP. 1^a. *Fides divina non est unicum, nec ultimum certitudinis criterium.*

1^o *Fides non potest implere vices aliorum criteriorum*, quia plurimæ sunt veritates internæ aut externæ, physicæ aut metaphysicæ, de quibus nihil dicit.

2^o *Supponit rationem*. Fides enim debet esse *rationalis*, ut monet D. Paulus. Sed in tantum rationalis quit esse, in quantum ratio probat Deum existere, revelare posse, et reipsa eam vel illam veritatem revelavisse.

3^o *Fideismus scepticismum universalem fovet*; siquidem extenuat vires rationis, sine quâ nec ipsa fides stare potest.

(1) *Essai sur l'indifférence*, t. II, c. XII-XV.

4^o Traditionalismus a sacrâ congregatione Indicis, die 15 junii 1855, approbante SS. P. Pio IX *damnatus* est, et sequentes propositiones D^o Bonnetty subscribendæ oblatæ fuerunt :

« 1^o *Ratiocinatio* Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum *certitudine* probare potest.

« 2^o Fides posterior est revelatione, proindeque, ad probandam animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatores, allegari convenienter non potest.

« 3^o Rationis usus fidem *præcedit*, et ad eam, ope revelationis et gratiæ conducit. »

133. PROP. 2^a : *Consensus humani generis non est unicum, nec ultimum certitudinis criterium.*

1^o *Consensus populorum non applicatur nisi ad pauciores veritates*, scilicet ad veritates quasdam dogmaticas vel morales majoris momenti (*suprà* n. 98-104); tacet autem de plurimis, v. g. de phænomenis conscientiæ, de plerisque factis externis, necnon de innumeris variarum scientiarum conclusionibus.

2^o *Systema Mennesianum secum pugnat*. Nam rationem privatam rejicit et admittit rationem generalem. Atqui posterior sine priore stare nequit. Non enim fidem adhibere possumus consensui populorum, nisi prius certi simus eum in tali vel tali casu existere, istas vel alias veritates ab eo admitti. Porro id scire non possumus, nisi prius, vi perceptionis sensuum, alios homines cognoscamus existere, et rationis ope intelligamus eos non esse deceptos, nec deceptores, ubi referunt genus humanum de istis aut illis veritatibus convenire.

3^o *Inducit scepticismum universalem*; quia ratio generalis non est nisi *summa* seu *collectio* rationum individuarum; ac proinde si ratio individua nullam ad certitudinem habet vim, nullam quoque habebit ratio generalis.

ARTICULUS II

De criteriorum reductione ad criterium supremum.

134. Licet ex dictis diversa criteria ad criterium *unicum* revocari haud queant, tamen admitti potest ea inniti criterio quodam *communi* ac *supremo* quod in singulis criteriis implicitè reperiatur; et ex quo, tanquam ex *communi fonte*, suam vim hauriant. Unde erit *ultima ratio* quam afferre possumus, interrogati cur *illud* vel *istud* pro certo habeamus.

135. Porro philosophi non conveniunt in illo *assignando*; alii quippe illud reponunt in *instinctivâ* propensione, quam etiam impossibilitatem dubitandi appellant; alii in *affectu* interno, sive in *inspiratione* quâdam animi; alii in conscientiæ testimonio; alii volunt esse ideam claram ac distinctam; alii evidentiam *objectivam*, alii demum, evidentiam *subjectivam*.

136. Assertio 1^a : *Ultimum certitudinis criterium non est instinctiva propensio, nec sensus internus vel affectus mentis* (1).

PROB. 1^a PARS contra Reid et Jouffroy. 1^o Cæca propensio certitudinis notioni adversatur; nam certitudo definitur : *firma mentis adhæsiō ad veritatem cognitam*. Et ipsa testis est conscientia nos ad veritatem adhærere vi perceptionis, non autem instinctûs.

PROB. 2^a PARS contra Jacobi, ducem scholæ *sentimentalis*, et quosdam recentes, inter quos Graty, qui triplicem sensum in homine distinguit, nempe sensum *externum*, sensum *internum*, et sensum *divinum*, ac sensui divino præcipuas dare partes videtur in explicandâ certitudine.

1^o Illud non debet dici ultimum certitudinis criterium quod a *mobilibus subjecti* dispositionibus, imò etiam præjudiciis plurimum pendet. Atqui talis est affectus, qui illusionibus ac passionibus obnoxius est et maximè variabilis pro variis

(1) Cf. Opus nostrum : *La Tête et le Cœur*, 3^e part., ch. 2, § 1 et ch. 3, § 4.

hominibus, et sæpenumerò pro uno eodemque homine. Quare rationem *sequi* potiusquam *regere* debet.

2^o Affectus non pertinet ad potentias cognoscitivas, nedum habeatur ceu cognitionis ultima ratio; nam *emotionem*, non *judicium* præ se fert; in eo gaudet, patitur, amat oditve animus, non autem cognoscit.

137. Attamen schola sentimentalís habet aliquid veri et ei concedendum est internum cordis seu voluntatis affectum non quidem *organum*, sed *conditionem prærequisitam* cognitionis esse posse, quod spectat ad plures veritates *morales*, maximè autem *divinas*.

Ad eas intelligendas ipsa experientia ostendit necessariam esse dispositionem seu *aptitudinem* quamdam voluntatis aut cordis, v. g. humilitatem, puritatem; quã qui carent, etiamsi aliunde intellectûs acumine utantur, *opponuntur* revera, etiam inscii, illis veritatibus et ideo cæcitate quadam tenentur ne *puram* hanc lucem capere possint. Eas igitur veritates, secus ac alias, notat Pascal insinuare se non ex *ratione* ad *voluntatem*, sed potius ex voluntate seu corde ad rationem (1). Quod autem pertinet ad veritates *fidei*, tantum est voluntatis munus, ut nemo credat, nisi volens.

138. Assertio 2^a: *Testimonium conscientie non est ultimum totius certitudinis criterium.*

Probatur contra Galuppi, cujus opinioni satis affinis est opinio Cartesii de philosophiæ initio ac fundamento.

Enimverò, ultimum totius certitudinis criterium extendi debet ad omnia quæ sciri possunt; alioquin non esset jam totius certitudinis fundamentum. Porrò conscientia non nisi ad interna phænomena et ad existentiam subjecti cogitantis spectat; de omnibus autem factis aut veritatibus objectivis, in quibus totum prope humanæ scientiæ consistit negotium, omnino tacet.

(1) Pulchrè Bossuetius: « Autant nous sommes purs, autant pouvons-nous imaginer Dieu; autant que nous nous le représentons, autant devons-nous l'aimer; autant que nous l'aimons, autant ensuite nous l'entendons. » (*Pensées chrétiennes et morales*, t. XV, édit. Lebel. Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part., c. 2, § 2.)

139. Assertio 3^a: *Ultimum certitudinis criterium non est idea clara, nec evidentia objectiva, quã talis, nec evidentia subjectiva.*

PROB. 1^a PARS contra cartesianos qui volunt hoc effatum Cartesii: *affirmandum est de aliquã re omne et solum id quod in ideã clarã illius contineri percipitur*, esse primum et ultimum certitudinis criterium. — Porrò illud haberi nequit ceu totius certitudinis ultima ratio, quod non competit omnibus veritatibus. Sed talis est idea clara, ad mentem cartesianorum; quippe quidem inest veritatibus necessariis seu metaphysicis, in quibus attributum in ideã clarã subjecti continetur, minimè autem veritatibus contingentibus convenit.

PROB. 2^a PARS, quia evidentia objectiva, quã talis, aliud non est nisi veritatis visibilitas. Atqui visibilitas ista causa quidem est cur veritas percipi possit, non autem cur reipsa percipiatur. Unde res eadem ab aliis admittitur et ab aliis negatur, tametsi una et æqua sit intrinsecè. — Et verò, certitudinis criterium, cùm animi sollicitet adhæsiõnem, debet esse animo manifestum ac perceptum. Sed talis non est evidentia merè objectiva.

PROB. 3^a PARS. — 1^o Etenim evidentia subjectiva dicit aliquid ex parte subjecti directè et primò desumptum. Porrò motivum nostræ certitudinis non ex subjecto cognoscente, sed ex re cognitã primariò debet accipi, siquidem mens nostra non est mensura rerum, velut intellectus divinus, sed econtra mensuratur a rebus, quibus conformetur oportet; alioquin non satis recederemus a *subjectivismo* Kantiano.

2^o Insuper, ipsa evidentia subjectiva reducitur ad evidentiam objectivam in quã nititur, et ex cuius vi efficitur. Quamobrem supponit aliquid prius, in quo fundamentum habeat.

140. Assertio 4^a: *Ultimum certitudinis criterium esse videtur evidentia objectiva menti seipsam manifestans.*

1^o Evidentia sic intellecta habet dotes requisitas ad ultimum certitudinis criterium. Competit omnibus veritatibus, licet diverso modo. Nam veritates omnes, quantumvis diversæ, suam tamen, ex probatis (n. 30), perspicuitatem habent. — Est

etiam ultima ratio certitudinis, quæ ascendere nequit ultra rei perspicuitatem menti sese exhibentem.

2° Respondet notioni certitudinis. Nam certitudo est aliquid subjectivum simul et objectivum, cum definiatur adhæsiō animi ad veritatem cognitam. Ergo ultimum certitudinis criterium duplicis hujus notæ quidpiam præ se ferre debet. — Rursus, cum agatur non directè de adhæsiōne ipsâ mentis, at de ultimâ illius causâ, criterium certitudinis debet primariò aliquid objectivum esse. Atqui has dotes implet evidentia objectiva, menti seipsam manifestans. Et quidem primariò objectivam rei visibilitatem, secundariò conditionem subjectivam significat.

3° Respondet testimonio conscientie. Si enim a nobis quæratulr ultima variarum nostrarum cognitionum ratio, aliam nullam afferre solemus, præter evidentiam veritatis, aut evidentiam credibilitatis. Cum aliquid intellectui nostro vel sensibus occurrit, adest evidentia veritatis; hac ratione admittimus veritates metaphysicas et physicas, quas ipsi vel immediatè, vel mediatè apprehendimus. Cum verò nobis aliquid narratur a testibus fide dignis, adest evidentia credibilitatis, quia certò videmus eos nec esse deceptos, nec deceptores; hac ratione veritates vulgò morales colligimus. Sed in utroque casu adest commune quoddam et analogum genus evidentie. (Supra, n. 34).

CAPUT IV

DE SCEPTICISMO

141. Dogmatismo, qui certitudinem affirmat, opponitur scepticismus, qui eam negat, vel saltem in dubio sese continet. Nam sive quis certitudinem neget, sive de illâ tantum dubitet, tamen caret certitudine ac scepticus vocatur (1).

(1) Scepticismus, ex græcâ voce σκεπτομαι, idem sibi vult ac inquirere,

142. Scepticismus est *universalis* vel *particularis*, prout omnia vel aliqua tantum certitudinis criteria impugnat.

Scepticismus particularis totuplex est, quotuplex criterium de quo dubitari potest; hinc scepticismus *objectivus*, qui certitudini rerum objectivæ; *idealismus*, qui perceptioni sensuum; *empirismus*, qui perceptioni rationis; scepticismus *historicus*, qui hominum testimonio; *rationalismus*, qui revelationi, et *fideismus*, qui rationi et omni scientiæ naturali adversatur.

At quia excussimus jam, ubi de singulis criteriis, speciales errores iis oppositos, impræsentiarum non dicemus nisi de scepticismo universali et de scepticismo objectivo, qui hodie dum magis viget, ducitque ad scepticismum universalem.

ARTICULUS I

De scepticismo universali.

143. Scepticismus universalis duplex distinguitur, nempe *strictus* seu *rigidus*, et *mitigatus* seu *academicus*. Prior dubium *absolutum* profitetur, posterior autem rejicit quidem certitudinem, sed admittit *probabilitatem*. De utroque pauca monenda sunt.

§ I. — De scepticismo universali stricto ac rigido (1).

144. I. *Scepticismi historia*. — 1° Scepticismi origo est perantiqua. Ipso enim Socratis tempore, sophistæ scepticismo præluserunt; eadem enim impugnabant quæ propugnaverant, docebantque nihil non contrariis argumentis statui posse et everti.

eo quòd sceptici non veritate potiuntur, sed inquirunt de rebus, ac motiva credendi hinc inde librant, quin ea in aliquam partem percipiant propendere.

(1) Cf. opus nostrum: *Histoire de la Philosophie*, 1^{re} part., 1^{re} période, ch. 2, n. 3, et 2^e période, ch. 3, n. 2, 5; 2^e part., ch. 3, n. 3; 3^e part., ch. 1, n. 3; ch. 2, n. 4; ch. 3, n. 3.

Platone et Aristotele florentibus, scepticis os oppilatum fuit; donec Aristotelis et Platonis discipuli dissidiis exagitari cœperunt. — Hinc Pyrrho a disputationibus philosophicis et ab inquirendâ rerum naturâ, utpote homini imperviâ, abstinendum esse docuit. Satis erat, juxta ipsum, ad res attendere, quatenus ab iis jucundè vel injucundè *afficimur*, et, ex unâ parte, *naturam*, ex alterâ parte, *leges patrias* sequi. Tanta autem Pyrrhonis fama exstitit, ut exhinc sceptici, nomine magistri assumpto, Pyrrhonii appellari consueverint.

2° Primis ævi *christiani* temporibus duo sceptici fuerunt digni qui nominentur, nimirum Sextus Empiricus et Œnesidemus, medici ambo. Sextus porrò famam suam ex eo accepit, quòd veterum scepticorum argumenta collegit, ac revocavit scepticismum ad formam *scientificam*. Novus autem philosophiæ vigor additus est ex certis firmisque christianis dogmatibus; quòd tamdiu duravit quamdiu revelationi ratio fuit subjecta.

3° Ast autem ubi hæc sese ex fidei disciplinâ *emancipavit*, paulatim infirmata est, atque ita de illius viribus nonnulli philosophi dubitare cœperunt; et scepticismus iterum extulit caput.

Etenim Montaigne (1533-1592), faciles Epicuri mores et philosophicas disciplinas de naturâ rerum renovavit, indulsitque scepticismo, mobilitate ac pigritiâ quadam ductus animi. In eâ sese interrogatione continebat: *Quid scio?* (*Essais*, II, 12).

Demum David Hume (1711-1776) negavit tum spiritualium, tum corporearum substantiarum existentiam, simul ac germanam rerum causalitatem; rejectis autem *substantiæ* et *causalitatis* principiis, quibus innilitur scientia nostra, scientiam ipsam pessumdari necesse est. — Porrò eædem sunt hodierni *positivismi* conclusiones.

145. II. *Utilitas indirecta scepticismi*. — 1° Sceptici *dogmaticos* cogunt ne assumant hypotheses et conjecturas pro veritatibus indubiis. Ac quemadmodum Ecclesiæ catholicæ nonnihil prosunt *hæreses*, ut doctores christiani vigilantiores sese exhibeant, dogmatum rationem magis exactè exponant,

cautioribus verbis utantur; ita etiam sceptici dogmaticos cogunt tendere ad solidum, et problemata de certitudine, præsertim verò de vi objectivâ idearum nostrarum, cum severâ et subtili criticâ expedire. — 2° In *indirectam* certitudinis probationem cedit scepticismus, nam ea in tuto sit oportet, quæ nonnisi inanibus objectionibus impugnari possit. — 3° Scepticismo apertè declarantur rationis humanæ *limites*, imò *imbecillitas*, ubi constat eam dubitatione et erroribus nonnunquam abripi quoad veritates etiam apertas. — Hinc refrænatur *presumptio* et suadetur *humilitas*, ubi viro- rum vel clarorum naufragium conspiciere est. — Hinc etiam imploratur *revelationis* auxilium, quo ratio firmetur et liberetur a propriis erroribus aut fluctuatione (1).

III. — *Refutatio scepticismi*.

146. **Assertio 1^a**: *Scepticismus universalis refelli nequit argumentatione directâ*.

1° Si directè refelli nequeunt, qui nulla concedunt principia, nullam conclusionem admittunt, sed assensum suum in omnibus cohibent; porrò ita se gerunt sceptici universales.

2° Nec inde inferatur *immobilem* remanere scepticorum positionem; si enim directam refutationem effugiunt, non est quòd *dogmaticis* responsum deficiat, sed quòd sceptici sese constituent *extra* rationis ac ratiocinationis ordinem. Quapropter, locus non est rationes quærendi contra ipsos; nam, ut Aristoteles admonet, « ridiculum est quærere rationem ad eum qui nullius habet rationem, quatenus nullam habet rationem; similis namque plantæ talis est, prout talis est. » (*Metaph.*, l. IV, c. 4).

3° Cæterum, scepticismus universalis *indirectè* refellitur tum contradictionum ipsius manifestatione, tum cavillationum ejus refutatione.

(1) « Nous voyons journellement, pour peu qu'elle (la raison) se démente du sentier ordinaire, qu'elle se détourne de la voie tracée par l'Église, comme tout aussitôt elle se perd, s'embarrasse et s'entrave, tournoyant et flottant dans cette mer vaste, trouble et ondoyante des opinions humaines, sans bride et sans but. » (Montaigne, *Essais*, l. II, c. 12). Cf. Bossuet, *Serm. sur la loi de Dieu*, 1^{er} point.

147. Assertio 2^a Scepticismus universalis apertè sibi ipsi contradicit et absolutè impossibilis est.

PROB. 1^a PARS. — Illi sibi contradicunt, qui eadem admittunt quæ impugnant. Porrò non aliter se habent sceptici universales. Nam celebre horum effatum : *nihil sciri ab homine potest, aut saltem nihil scitur*, vel ab ipsis admittitur tanquam evidens, vel tanquam ratiocinatione probatum, vel tanquam dubium; si tanquam evidens, ergo evidentiam recipiunt; si tanquam ratiocinatione probatum, ergo ratiocinationis vim recipiunt; si tanquam dubium, pro certo habent illud esse dubium, ac proinde affirmant se dubitare; vel si dubitant utrùm dubitent, at saltem asserunt se esse in statu dubitationis. Itaque, quòcumque se vertant, non possunt non admittere aliquid certi, et ita secum pugnancia dicere (1).

PROB. 2^a PARS, quia scepticismus universalis absolutè repellitur a *naturâ ipsâ* et ab *evidentiâ*, non tantùm quoad *praxim*, verùm etiam quoad *speculationem*; multæ sunt enim veritates ita perspicuæ et necessariæ, ut assensum animi, velit, nolit, rapiant, juxta illud Tullii : « Ut enim necesse est lancem in librâ, ponderibus impositis, deprimi, sic animum perspicuis cedere. » (*Acad.* 1, l. II, c. XII). Nemo dubitare potest vivere se, cogitare, tristitiâ vel gaudio affici, existere reipsa mundum hunc adspectabilem, alia sexcenta id genus. Neminem igitur reperias verè pyrrhonium, ne Pyrrhonem quidem; nam ferunt eum, cùm ab amicis reprehenderetur quòd ab imminente periculo cavisset, respondisse : *difficile est naturam exuere*.

148. Assertio 3^a : Inanes sunt scepticismi objectiones.

Scepticorum objectiones duplici ex *fonte* hauriuntur : nimirum ex *objecto cognito*, et ex *subjecto cognoscente*; et in id conspirant ut probent aut veritatem in se cognoscibilem non esse, aut saltem ab homine non posse cognosci.

(1) Si quis forte occurreret scepticus universalis, non tam seriò quàm lepidè cum ipso disputandum foret, ut fecisse Platonem ferunt : « Vel tu scis quod dicis, ubi asseris nihil sciri ab homine, vel nescis. Si tu scis quod dicis, ergo aliquid ab homine sciri potest; si nescis quod dicis, tacere debes, ne ab omnibus insanus habearis. »

149. Duo ex parte *objecti* a scepticis objiciuntur : 1^o Res sunt mutabiles. Sed *mutabilitas* ista vetat quin apprehendi valeant; nam undæ fluentis instar, priùs elabuntur quàm possis eas capere. 2^o Veritati nullum inest criterium quo a falsitate distinguatur; si enim ei quoddam inesset criterium, ipsum nobis innotescere non posset nisi ope alterius criterii, quod iterum sui criterium expostularet, et sic in infinitum (1).

Porrò primam objectionem in Ontologiâ exsolvemus, ubi de veritatis immutabilitate, secundæ autem jam fecimus satis, ubi de criterio evidentie (n. 28-34).

150. Ex parte *subjecti* sex argumenta potissimùm vetant quin veritatem certo apprehendere queat : 1^o Fortassis vita nostra nihil est nisi somnium perpetuum; atqui somniantes illusionibus omnino subjacent. — 2^o In tantùm ad veritatem homo pertingere posset, in quantum foret naturâ suâ infallibilis. Atqui non est naturâ suâ infallibilis, ac proinde semper quit falli. — 3^o Facultates omnes mentis nostræ hactenus nos deceperunt : sensus, evidentia, ratio; nulla ergo iis habenda est fides; ita Lamennais. — 4^o Nec populi, nec philosophi ipsi secum consentiunt, sed alii alia docent...; quis pronuntiabit et lites componet (2)? — 5^o Philosophiæ ac certitudinis omnis initium non demonstratur, sed innitur gratuitâ mentis affirmatione, quam proinde nil probat veritati esse consonam. — 6^o De rebus omnibus judicamus ope intellectûs nostri; sed intellectus noster aliter constitui potuisset atque aliter de rebus judicare; ita Kantius.

At verò 3^{am} et 5^{am} objectionem suprâ excussimus ubi de perceptione sensuum, de certitudinis existentiâ et fundamento, necnon de singulis criteriis fuit locus; hic igitur respondendum est tantùm 1^æ, 2^æ et 4^æ objectioni; nam 6^a infra refelletur.

— Ad 1^{am} quod attinet, triplici potissimum ratione vigiliam

(1) Lépidè Montaigne : « Il n'y a pas d'enseigne à l'hôtel de l'évidence. »

(2) Hinc Pyrrho jactare solebat illud Homeri : « Comme naissent et tombent les feuilles des arbres, ainsi les opinions des mortels. »

a somnio discernere licet. 1° In somnio non omnes facultates cognoscitivæ operantur, sed potissimum *phantasia*, cujuscum actus sit vehementior æquo, cæterarum actibus facultatum impedimento est, dum in vigiliâ singulæ facultates cognoscitivæ agunt *simul* ac sese mutuò adjuvant. — 2° In somnio, nulla attentionis et conscientiæ reflexio exercetur, mensque, ut ita dicam, potius *agitur* quàm *agit*; at vigilantes plenâ conscientiæ ac reflexionis luce fruuntur, attendunt quid faciant, et liberè illud vel istud volunt. — 3° Hinc fit ut in somniis omnia permisceantur nulloque nexu, nullâ lege sibi succedant variæ animi affectiones, et cuncta vel necessitati, vel fortunæ subjacere videantur. At contrâ, ubi vigilamus, quem volumus ordinem, inter nostras cogitationes institui-mus, aliæ aliis ratâ lege succedunt, conferuntur inter se, colligantur, moderantur (1).

Jam 2^a *objectio* falsum supponit. Ut enim homo nunquam erret nec errare possit, oportet quidem sit infallibilis; ut autem certitudinem aliquando assequi valeat (quæ thesis est dogmaticorum), satis est habeat rationem, etiam debilem, ad verum tamen per se ordinatam.

Objectio 4^a vult populos ac philosophos ipsos inter se dissentire; *dist.*; quoad quædam, *conc.*; quoad omnia, *neg.* Sanè populi et philosophi de multis necnon gravissimi momenti veritatibus consentiunt; v. g. de existentiâ Dei et cultu ei ab hominibus debito; de existentiâ, spiritualitate, libertate, immortalitate animi nostri; de distantiâ inter bonum et malum. Ergo si volunt sceptici ea esse incerta de quibus discordant homines, illa de quibus conveniunt pro certis habeant oportet.

Cæterùm, multa etiam certa sunt, quamvis de iis dubitent quidam philosophi, nec quidquid a nonnullis rejicitur, rejiciendum quoque est; quia non desunt homines qui dubitant de rebus aliunde certis, sed vel libidine disputationis acti, vel passionibus moti, vel cupidi novitatis et famæ, vel non satis eruditi circa ea de quibus præfractè pronun-

(1) Cf. S. Thomas, in IV *Metaphysicor.*, lect. 14; Balmès, *Philos. fundam.*, t. I, l. II, c. 3.

tiant. Quapropter non habent cur moveant eorum dubia vel querelæ.

§ II. — De scepticismo universali temperato, sive academico.

451. Scepticismus academicus in eo a scepticismo universali rigido differt, quòd admittit hominem parem esse ad *probabilitatem* obtinendam; admittit enim alia esse probabilia, alia aliis verisimiliora, et inter agendum id teneri oportere quod probabile videatur. Hoc scepticismi genus viguit in Academiâ novâ et tertiâ, ducibus Arcesilao, Carneade et Cicerone (1).

452. PROP. : *Scepticismus academicus sibi contradicit et impossibilis est.*

PROB. 1^a PARS. — Sceptici academici docent secum pugnantia, nimirum, ex unâ parte, nihil certò sciri, nec sciri posse, sed tantùm probabiliter; et, ex alterâ parte, 1° quædam esse certò probabilia, vel etiam probabiliora; 2° ab homine haberi certas regulas, quarum ope quid probabile sit, quid non, discernere queat; 3° insuper probabilitas ipsa supponit certitudinem; nam aliquid dicitur probabile, quatenus vero simile est.

PROB. 2^a PARS. — Natura et evidentiae ipsa vis cogit nos quædam habere pro certis omnino, de quibus ne vel minimè dubitare sinit, ipso monente Tullio jam laudato: « Ut enim « necesse est lancem in librâ, ponderibus impositis, deprimi, « sic animum perspicuis cedere. »

ARTICULUS II

De scepticismo objectivo (2).

453. Scepticismus objectivus docet hominem gaudere quidem certitudine quoad *phænomena* mentis interna, sed in

(1) Cf. *Histoire de la Philos.*, 1^{re} part., ch. 3, n. 2.

(2) Cf. *Histoire de la Philos.*, 3^e part., ch. 2, n. 4; *Le Kantisme et le Positivisme*, ch. 4, n. 6.